

CAPUT VI.

DE

CONTRACTU MANDATI.

CONTROVERSIA I.

Quid sit MANDATI Contractus.

SUMMARIUM.

Definitio Mandati secundum antiquos glossatores. 655.
 Accuratio definitio Recentiorum. eod.
 An pro genere recte ponatur Contractus. 656.

Quo sensu sit bona fidei Contractus. 657.
 Quomodo solo consensu perficiatur. eod.
 An obligatio hujus Contractus nascatur antecedenter ad omnem actum mandatarii. 658.
 Intellectus legis 59. ff. de acquir. rer. dom. 659.

655. Antiqui Glossatores & Interpretes definiunt Mandatum, quod sit Contractus, quod quis officium honestum, & lege permittitur, gratuito, expressè vel tacite suscipit exequendum. Ità Azo, Accursius, Bartolus, & Baldus, & alii in Rubr. Mandati. Quomodo singulæ particule verificentur, ex sequentibus Controversiis innotescent.

Recentiores accuratius definiunt, quod sit Contractus iurisdictionis, nominatus, bonæ fidei, nudo consensu initus, quo negotium aliquod gratis efficiendum voluntariè suscipienti committitur. Ità Harpprecht, sed quia, ut dicemus, potest iste Contractus initi absque eo, quod negotium ab uno alteri expressè committatur, dummodo in præsentia ipsius absque contradictione aliquid fiat, ideo non male addunt alii hæc verba. *Expressè vel tacite. sive, (ut P. Molina) formaliter vel virtute.*

Qui committit alteri negotium, vocatur Mandator, quandoque etiam Dominus. Qui recipit, seu suscipit Mandatum, Mandatarius, Procurator. quod si accipit Mandatum ab aliqua communitate, aut Collegio, Republica, aut Civitate, vocatur Syndicus.

656. Quæstio est inter Iureconsultos, utrum pro genere recte ponatur Contractus. Nam Nicolaus Mozzius, post antiquos aliquos, existimat pro genere esse ponendum: *Officium.* Fundamentum est, quia dicitur Mandatarius fungi officio. Sed hoc fundamentum leve est, nam officium quo fungitur, aliud non est, quam actio ad quæ se obligavit per contractum Mandati, sicut Negotiatio est id ad quod se focus obligavit per contractum Societatis, vel Conductionis, &c. Est ergo effectus ipsius Contractus seu Mandati, & non genus: sive; est terminus ad quem explicatur Mandatum, & non pars constitutiva illius.

657. Contra id quod in definitione ponitur esse *Bonæ fidei*, potest objici 1. Nam potius videri potest esse stricti iuris, quatenus Mandatarius non potest, ne quidem bonâ fide sine mandati excedere, ut iusurâ dicitur. 2. Esse distinguendum inter ea que cadunt expressè sub executionem mandati, & inter ea, que mandatarium mandatori, & mandator mandatorio ex a quo & bono præstare debet, etiam si non fuerit de illis expressè mentio facta: & ratione horum posteriorum dicitur contractus esse bonæ fidei: exemplum est in lege 20. §. 1. C. h. t. *Quod si gratiarum mandatum suscepisti, secundum bonam fidem sumptus recte postulas.*

Contra id verò quod dicitur solo consensu perfici, objici potest. 2. Quamdiu res est integra, hoc est, quamdiu mandatarius nihil eorum egit, que ipsi commissa sunt, tamdiu potest absque ulla injuria tam ipse quam mandans penitere, ut postea dicitur. atqui sic nulla nata est obligatio ex solo consensu, sed nascitur primum ex facto: ergo contractus mandati potius est dicendus re, quam consensu perfici. Respondent ali-

aliqui inter quos VVidman n. 2. contrahentes, etiam re adhuc integrâ, obligari sub conditione hac: *si videlicet mandans non revocaverit mandatum, qui ei mandatarius revertitur.*

Verum, contra hanc responsum facile urgeri potest. Nam per hoc solum defenditur, (si tamen defenditur) quod nascatur ex consensu obligatio conditionata, que tamen maneat suspensa, nec transeat in absolutam, donec ponatur executio. Ergo per ipsam executionem transit in absolutam. Ergo in ratione obligationis absolute completur ultimè executione, sicut Commodatum, Mutuum, &c. traditione: ergo sicut isti contractus re perfici dicuntur, ita & contractus Mandati.

Confirmatur. nam in terminis repugnat, dari obligationem ex iustitia commutativa sub hac conditione: *si ego voluero: sive: nisi noluerit esse obligatus.* Nam ut apud omnes certum est, & fuscè declaravi initio Tractatus 2. agens de natura Iustitiæ commutativæ, ut differt ab aliis virtutibus, Iustitia Commutativa respicit tanquam mensuram adæquatam voluntatem alterius in suum placitum obligantis, & ab hac alterius voluntate unice pædet, nec est in potestate obligati, se ab hac obligatione pro libitu liberare, præcisè nolendo esse obligatum. Hinc etiam tradunt DD. neminem posse propriè suis legibus obligari, quia inanis est obligatio, cujus solutio est in obligati voluntate.

Ad objectionem aliter respondere quis fortè potest, dicendo, quod ex consensu solo, re adhuc integrâ, nascatur obligatio disjunctiva, seu ad aliquod disjunctum, nempe vel ad executionem rei mandati, vel ad ponendam exteriorem manifestationem, eamque notificandam mandanti, (vel contra mandatorio) animi revocati seu mutati. Verum, nec hæc responsio mihi penitus placet: quia ex communi omnium sensu contractus iste parit obligationem ad aliquid determinatum, nempe ad præstandum & exequendum negotium promissum. Itaque

658. Respondeo, obligationem hujus contractus nasci antecedenter ad omne factum, quia etiam primum factum jam procedit ex hoc contractu, & est objectum illius, adeoque jam procedit ex obligatione: & mandans potest convenire mandatarium, si illud factum non possuisset, tunc cum negotium urgeret, neque antè revocasset. Deinde dico, hanc obligationem non nasci ex consensu solo secundum eamque physicam spectato, hoc est, ex illo actu voluntatis, qui dicitur consensus exteriùs manifestatus; sed nasci ex illo actu cum negatione revocationis intuitivæ. Hæc negatio non est aliquid factum, ut constat, sed est intermissio signi externi, quo revocatio interna manifestatur. Quando ergo ponitur prima executio, hæc dicitur fieri ex obligatione, quia pro priori signo naturæ fuit positum.

Christ. Haun. de Just. Tom. IV.

tus consensus habitualiter durans per ipsam non-revocationem, per quam completur obligatio: itaque mandatarius imperat sibi actum executionis, v.g. emptionem frumenti, eliciendo talem voluntatis actum. Quia cum Petro contraxi, illicque promisi me gratis illi empturum frumentum, & ille hoc mihi mandavit, & nec ille, nec ego hanc voluntatem revocavimus, adeoque sum jam obligatus emere (pono esse tempus quo mandatum urget) ideo emo illius nomine. Itaque negatio revocationis completur motivum, & causam emendi, sicut negatio penitentia in peccatore completur motivum damnationis: non enim damnatur homo propter peccatum præcisè, sed propter peccatum cum negatione penitentia justificativæ. Adhuc expeditius quis responderet objectioni, amplectendo sententiam illorum, qui tenent, nunquam valere renuntiationem, nisi facta sit ex iusta causa. Vnde consequens est, quod statim nascatur obligatio exequendi, nisi emergat iusta causa renuntiandi, v.g. inimicitia, &c. sed de hoc infra contr. 10.

659. Objici contra id ipsum potest 3. Ex lege 59. ff. de acquirendo rerum dominio, ubi dicitur, rem mandato meo emptam, non ante fieri meâ, quam si mihi tradiderit eam, qui emit. Ergo mandati obligatio per traditionem habetur. 2. Negando consequentiam: obligatio enim mandati est ad ipsam emptionem, & denique ad tradendum; ipsa autem traditio non completur obligationem, sicut traditio commodati, depositi, &c. completur obligationem in commodatario, depositario. nam hæc traditio non procedit ex ipso contractu commodati, sicut emptio procedit ex precedente contractu mandati, & negatione revocationis, ut in precedente objectione declaratum est.

Objiciunt hic aliqui 4. Mandati Contractus fieri non potest, nisi vel per verba, vel per scripturam. Ergo vel est reducendus ad Contractus, qui verbis perficiuntur, vel scripturâ. Miror hanc objectionem hic fieri, cum æquè fieri possit contra emptionem, locationem, Societatem, nam nec hi contractus fieri possunt nisi vel verbis, vel scripturâ, vel factis aliquo quod sit loco verborum.

Ad objectionem responderet VVidman, negando consequentiam, quia verba, vel litteræ se solummodo habent per modum causæ instrumentalis, quibus consensus manifestatur, quo contractus iste producitur. Verum, contra hoc urgeri potest. Nam etiam in stipulatione verba sunt instrumentum quo consensus manifestatur.

Respondeo ergo; quando contractus dicitur verbis aut scripturâ perfici, hoc ideo esse, quia certa solennitas verborum & scripturæ requiritur, nec sufficerent alia signa æquivalentia, que tamen sufficient in illis contractibus, qui solo consensu perfici dicuntur. Et hæc dicta sunt ad explicandum genus definitionis, nempe quod sit Contractus bonæ fidei, & solo consensu celebratus.

D d 2

tus. Restat explicanda differentia, quæ continetur in illis verbis, quibus dicitur, quod debeat Mandatarius gratis recipere in se quod rogatur, per quod differt à Contractu Locationis, vel etiam innominato, do ut facias. sed quia indiget majore declaratione, ideo fit----

CONTROVERSIA II.

Quo rigore debeat obligatio Mandati gratuidi subiri.

SUMMARIUM.

An obliet Mandato, susceptum esse spe remunerationis. 660.

Quid si Remuneratio fuerit promissa. 661.

Quid si negotium committatur illi, qui non solet gratis agere. eod.

An Salarium advocato promissum possit peti actione mandati. 662.

Intellectus legis 6. ff. Mandati. 663.

An possit fieri verbis deprecatoriis. 664.

660. Quod debeat fieri gratis, dicitur Inst. §. ult. [In somma sciendum est: mandatum nisi gratuitum, in aliam formam negotii cadere. Nam mercede constituta incipit locatio, & conductio esse.] & lege 1. ff. h. t. §. ult. ratio hujus redditur. Mandatum, nisi gratuitum, nullum est, nam originem ex Officio atque amicitia habet.

Certum est, quando quis mandatum recipit spe remunerationis futurae, hoc non obliet, quin verus mandati contractus fuerit, etiam si mandatarius ita constitutus fuerit, ut si se visisset, nullum se honorarium accepturum esse, non suscepisset negotium. Ratio est, quia adhuc verum est, quod vi talis contractus & negotii gesti ad nihil aliud teneatur mandans, quam ad illa ad quæ teneatur, si alter absque ulla spe remunerationis operatus fuisset. Dico, ad nihil aliud teneatur, intelligendo, ex Iustitia. P. Molina putat, quod tunc, quando absque spe remunerationis fuisset operatus, mandans minus obligaretur ex gratitudine, quia mandatarius censetur tacite hanc obligationem remittere. Verum, aliter mihi dicendum est, qui tract. 2. ostendi, obligationem gratitudinis non posse remitti ab illo, qui beneficium contulit, quia non pendet à voluntate alterius, sed à natura, sicut obligatio Pietatis. sed hæc non spectant ad hanc locum.

661. Sed, quid si hæc remuneratio fuerit promissa, et tunc nihilominus mandatum? Ratio dubitandi est, quia talis promissio inducit obligationem ex Iustitia. Imprimis certum est, quod non esset contractus locationis conductio- nis. nam ad hanc requiritur, ut conveniatur de mercede certa: promissio autem honorarii non

designat aliquid certum. Dubium ergo solvitur est, an sit contractus innominatus: do ut facias? Distinguedum est: vel promissio est causa inductiva, vel non; si est causa inductiva, ita ut alioquin negotium non susciperetur, nisi accederet promissio alicuius, tunc cease fore contractum innominatum do ut facias ex parte mandantis, & facio ut des ex parte mandatarii, & competituram actionem Prescriptis verbis, non verò Mandati, & hoc videtur tacite supponere P. Molina n. 2. & contra Bocorum defendit Harpprecht in §. ult. n. 3. vocans sententiam contrariam erroneam, quod scilicet salarium sic promissum habeat rationem honorarii. Certè actione mandati peti non posse, habetur l. 17. C. h. t. Salarium incerta sollicitationis peti non potest. Quod si non est causa inductiva, quia nihilominus fuisset negotium suscipiendum, tunc retinet rationem mandati, & competit actio mandati, qui videtur esse sensus. l. 6. pr. ff. h. t. Si remunerandi gratia honor (id est salarium, ut interpretatur gl.) intervenit (id est, promissus esse, ut ead. gl.) erit mandati actio. alium sensum postea dabo.

Sed quid si negotium alicui committatur, qui non solet gratis, sed pro mercede hujusmodi operam aut negotia suscipere, v. g. si fulloni aut factori tradantur velles perficiendæ: tunc censetur potius iniri contractus Locationis: quia merces tacite & virtualiter constituitur. Pro hoc affert P. Molina duo iura, neutrum tam hoc habet. nam l. 1. §. ult. dicitur id quod est indubitabile, nempe quod interveniente pecuniæ ex pacto res ad locationem potius respiciat. Deinde citat §. ult. l. h. t. ubi potius videri posset contrarium, dici his verbis. [Et ideo si fulloni polienda, curandæve quis dederit vestimenta, aut sarcinatori faciendæ, nullâ mercede constituta, neque promissâ, mandati competit actio.] Nihilominus, ut dixi, tacite constituta censetur merces illa, quæ communiter solet æqua & iusta reputari, & hoc habet quotidiana praxis cum opificibus, cum quibus communiter post confectum opus primum convenitur de mercede. Adductus ergo §. intelligendus est, quando ne quidem tacita promissio interveniret, eò quod forè amicus amico talia committeret.

662. Quod Salarium promissum Advocato non possit peti actione mandati, quando absque tali non fuisset negotium gesturus, potest ulterius probari ex leg. 1. C. h. t. ubi Imp. scribitur. [Adversus eum cujus negotia gesta sunt, de pecunia, quam de propriis opibus, vel ab aliis mortuò acceptum erogasti, mandati actione pro sorte & usuris potes experiri. De Salario autem NB. quod promissit, apud Præsidem provincie cognitio præbebitur.] Ergo non potest peti salarium ordinariæ actione, qualis est Mandati. sed extra ordinem apud Præsidem. Quod etiam supponitur l. 7. ff. h. t. [Salarium procuratori constitutum à extra ordinem peti caperit, &c.]

Ratio-

Rationem ulteriorem addit Hunnius. v. ref. q. 6. Si enim peteretur actione mandati, vel peteretur actione directâ, vel contrariâ. Non directâ, hæc enim convenit mandanti, non mandatario: non contrariâ, quia in hanc actionem venit, quod videtur abesse. Ego non desidero aliam rationem, quam quæ est obvia, nempe, quia talis contractus non est gratuitus, sive, quia negotium non geritur gratis & ex amicitia officio, quod est de conceptu mandati, ut pariat actionem propriam.

663. Obijcit V Vidman & alii legem 6. ff. h. t. paulò antè recitam, cujus intellectum dixi posse esse, si promissio salarii non fuit causa motiva. Alium intellectum dat Hunnius, & ex eo Harpprecht: nempe quando dicitur, salario interveniente actionem mandati esse, id sic interpretandum est, ut fit mandati actio de aliis omnibus rebus, quæ mandati iudicio petuntur, non autem de salario. Putant ergo probabiliter, sermonem esse de actione mandati directâ, quæ mandanti competit, & hoc colligunt ex veris. seq. [Si alicui mandatum sit, ut negotia mea administret, hac actione conveniendus erit.] Ergo quando dixit Iureconsultus, salario interveniente mandati actionem esse, significat actionem mandati directam esse, quæ tamen de salario esse non potest, ut patet, quia hoc peteretur actione contrariâ. Hæc est interpretatio horum AA. qui proinde in tali contractu videntur duos contractus agnoscere, unum Locationis, ratione salarii, alterum Mandati. Sed hoc mihi difficile est, quia non apparet, quid fiat gratis, nisi dicamus, quod salaria hujusmodi non solent ad æquare ministerium Advocatorum & Procuratorum, & sic adhuc fiat gratis: quod effugium arripit V Vidman n. 9. & 10. ubi questionem mover, unde colligi possit, an sit merces vel salarium: respondetque id colligi debere ex eo: vel enim tale factum committitur, quod ceteroquin locari solet; hoc est, ubi ex æquo vera & proportionata æstimatio respondet, qualia sunt viliora, & quæ opera manuum ab opificibus sive mechanicis præstari solent: vel factum aliquid honestius, & dignius mandatum, v. g. Medicum aut Advocatum agere, liberalem aliquam disciplinam docere, & alia hujusmodi, quæ ob suam præstantiam nullâ condignâ mercede verè & æquitate æstimari possunt: hoc posteriore casu vel non posse censeri locationem, consequenter totum, quod pro tali facto expediendo promissum est, intelligitur honorarium, & non merces, adeoque contractum esse mandati. Ità ille. Quæ doctrina non solum videtur pugnatæ cum apertis Iuribus adductis, ubi dicitur pro Salarium non dari actionem mandati, (quæ iura ad minimum debent intelligi quando Salarium adæquat totum id quod est æstimabile in opera & industria Procuratoris, adeoque supponitur posse ad-

æquari) verum etiam est contra sensum communem omnium, arbitriumque, posse ita adæquari Salarium æstimationem, ut intercederet vera locatio, adeo ut si Procurator, plus peteret, injustè ageret, & æqualitatem non servaret. Et ne longius abeamus, P. Layman (quem iste Author immeritò pro se citat) sup. 26. n. 1. disertis verbis supponit posse constitui salarium iustum, & Advocatos ac Procuratores non solere agere gratis. verba sunt. [Veruntamen Procuratori, sicut & Advocato, quos constat laborem suum gratis non præstare, si certum Salarium constitutum non fuit, ad Iudicis Officium pertinebit Salarium iustum designare.]

Confirmari hoc in super potest ex eo, quod iura negent actionem mandati illi Procuratori, qui pactus est de quotâ lisis sibi solvendâ, si vice-rit. imò puniunt hujusmodi pactum tanquam dolosum, & ad hoc iniuriam, ut plus consequatur, quam ejus opera digna est: & quidem negant tali actionem mandati etiam ad consequendum id, in quod condemnatus est, ut Interpretes colligunt ex lege 6. §. 7. ff. h. t. ubi ponitur casus iste, & est textus satis obscurus. [Martius (alii legunt Maurus) Paulus quidam fideiussor pro Daphnide, sub nomine pactus ob suam fideiussionem, & sub nomine alterius (v. g. Iuæ uxoris) ex eventu litis exstitisset, velle à Daphnide mandati iudicio consequi quod erat condemnatus. Sed rectissime Divi Fratres retraxerunt, nullam actionem eum propter suam calliditatem habere, quia mercede pactâ accesserat ad talem redemptionem, &c.] supponitur ergo quod ejus opera procuratoria potuerit certâ mercede adæquari; hoc ipso enim quod merces constituti potest, necesse est intervenire æqualitatem, nam hæc est de conceptu mercedis. Itaque est scientia non possint pretio æstimari, cum sint bona altioris ordinis, exercitium tamen scientia potest æstimari, alioquin nec contractus Societatis intercedere posset, quando alter operam litterariam confert, quod est contra jura, praxim, & rationem.

664. Contra id, quod iste contractus debeat fieri gratis, obijcit postea, ex eo sequi, quod possit iniri per verba deprecatoria: Rogo: nam pro liberali officio utique togari possumus, atqui hoc videtur falsum. nam verbis deprecatoriis acmo censetur velle se obligare ex Iustitia. Minor probatur etiam ex lege 12. §. 12. ff. h. t. Cum quidam talem epistolam scripsisset amico suo rogore comendatum haberes Sextilium Crescentem amicum meum. non obligabitur mandati. 11. Concedendo sequelam, negando minorem: ad

Dd 3

probationem respondeo, me posse alium rogare, ut se mihi obliget pro reciproca obligatione, & hoc potest fieri etiam in aliis contractibus, ut patet etiam ex matrimonio. Ad legem adductam fumenda est responsio ex verbis sequentibus, quibus ratio additur negati mandati. [Quia commendandi magis hominis, quam mandandi causa scripta est.] Noluit enim alterum ex iustitia obligari, sed solum illi persuaderi laudando amicum, & hoc sensu, et conamuni stylo intelliguntur littere commendatitiae, quibus nemo esse obligari censet ex iustitia. Aliud dicendum est de litteris, quibus peteretur ab aliquo, ut latori det mutuas pecunias, aut merces: ex praxi enim constat, quod tales velint tanquam mandatores esse obligati, & per consequens etiam alterum sibi habere obligatum, si quidem negotium recepit: qui si inde laedatur, damnum petet actione mandati, ut ex Ioanne Koppen notavit V Vidman n. 31. idem asserens de litteris creditivis seu creditivis Principum.

CONTROVERSIA III.

Quotuplex sit Mandatum, & quotum Gratiâ contrahi possit.

SUMMARIUM.

Diviso mandati in expressum & tacitum. 665.
An in re turpi locum habeat. eod.
An per verba ambigua. eod.
 Diviso ejusdem in Generale & Speciale. 666.
 Subdiviso Mandati generalis: in cum libera, & sine libera. eod.
 Diviso ejusdem in purum, & non purum. 667.
 Diviso ejusdem in constituens mandatarium iudiciale & extrajudiciale. 668.
 Diviso ejusdem ratione utilitatis diversimodè intentæ. eod.
 An alieno acquiratur obligatio, si in illius utilitatem mandatur. 669.
 Quare non acquiratur actio, quando in solius mandatarii utilitatem tendit mandatum. eod.
 Quis dolo consilium noxium datum esset, an teneretur mandans de damno. 670.

665. **D**ubitarum Mandatum 1. in expressum & tacitum. Expressum est, quo negotium alteri committitur verbis formalibus vel virtualibus signis externis, quibus internus consensus exprimitur, & alterum inducit ad acceptandum negotium, & ut supra dictum, non solum verbum mando, committo, sed etiam rogo sufficit l. 1. §. 2. ff. h. t. Item sive rogo, sive volo, sive mando, sive alio quocunque verbo scripserit, mandati

actio est. Tacitum mandatum est, quo quis sciens prudens patitur, ut ab alio res sua agatur: ut si præsens ac tacens permittat ut pro se alius fidei jubeat, vel solvat: eo ipso enim præsumo tibi dare mandatum, & silentium est loco sermonis, l. 18. ff. h. t. Qui patitur ab alio mandari, ut sibi credatur, mandate intelligitur, non quidem creditori, sed mandanti, ut bene notat glossa: nam creditori ex mutuo teneretur. Item l. 33. eod. Qui fidei alterius pro alio fidei iussus præsentem, & non recusat, utrosque obligatos habet Lure mandati. Notat tamen hic P. Azorius, & colligit ex cap. ex parte Decani de Rebus scriptis, hoc genus mandati taciti non habere locum in re turpi; etiam si enim taceat, non hoc ipso videtur mandate quod alius suo nomine turpiter agit. Ratio autem videtur esse, quia quod ab ipsa lege prohibetur, non est necesse ut ab altero prohibeatur, ne suo nomine fiat, quia nullius nomine recedat fit.

Dicit aliquis: imò videtur etiam in re turpi locum habere: nam, ut tradit Baldus in l. Cum oportet ff. de bonis qua lib. si pater sciat filium solum uturas exercere, eique det pecunias, censetur tacite mandasse, cogiturque restituere pecunias usurarie quasitas, &c. Ex duplici causa in tali casu id præsumi, tum quia dando pecunias cooperatur, tum quia tenetur ex officio patris monere & dehortari.

Bartolus in leg. si quis mihi bona. §. pater Seio. ff. de acquir. hered. advertit, posse tacitum esse mandatum, quando fit verbis ambiguis, & que in his circumstantiis merito intelliguntur & accipiuntur in vim mandati. Exemplum dat in servo qui occidit inimicum sui domini, eò quod dominus illi dixerit; ne redeas in domum meam, nisi audierim inimici mei interitum. Simile exemplum esse posset, quando satellites Regis Angliæ interfecerunt S. Thomam Episcopum Cantuariensem, quia audierunt Regem conquirentem, quod non posset habere pacem cum ipso.

666. Dividitur 2. in Mandatum generale & speciale. Mandatum generale est, quando, quis alicui committit omnia sua negotia, vel ut omnia sua bona administret, & curet. Speciale Mandatum est, cum datur Mandatum alicui ad certam litem componendam; vel ad certum in specie negotium perficiendum. Mandatum generale subdividitur in Mandatum generale cum adjecta clausula: Cum libera: & in mandatum generale sine hac clausula. De prioris specie plura dicenda erunt contr. sequente.

667. Dividitur 3. in Mandatum purum, h. e. cui neque conditio, neque dies adjectus est, & in non purum, cui vel adjecta est conditio, vel est in diem, vel usque ad certum diem; v. gr. si navis venerit ex India, committo tibi distractionem

nem mercium. Mandò, ut usque ad Calen. Ian. geras meam negotium. Mandò, ut à tali die geras, &c. De his nihil est addendum illis, quæ dicta sunt tract. 8. de Contr. in genere.

668. Dividitur 4. in mandatum, quo constituitur mandatarium iudiciale, & mandatum quo constituitur extrajudiciale. Mandatarium extrajudiciale, hoc est, qui extra iudicium perficit negotia, potest loco sui alium substituere, nisi id illi specialiter prohibeatur, vel negotii gravitas obstat: at verò iudiciale hoc non potest. l. 8. §. 3. ff. h. t. [Si quis mandaverit alicui gerenda negotia ejus, qui ipse sibi mandaverat, habebit mandati actionem, quia & ipse tenetur: tenetur autem quia agere potest: quantum enim vulgò dicatur, procuratorem ante litem contestatam facere procuratorem non posse, tamen mandati actio est, ad agendum enim dantur hoc facere non potest.] Disparitas est, quod mandatarium iudiciale per litem contestationem fiat Dominus litis, ita ut omnes actus iudiciales in ipsum dirigantur (de Lure communi) & in ipsum, non in Dominum cuius causam agit, feratur sententia: sed, ut monet V Vidman, consuetudo moderna habet, ut ipse Dominus condemnatur, exceptis causis infamiam irrogantibus. Sed de Procuratore ad negotia extrajudicialia plura infra.

Restat nunc dicere, quot diversis modis quoad utilitatem inter contrahentes intentam possit mandatum contrahi, de quibus ita loquitur Imperator in Inst. [Mandatum contrahitur quinque modis: sive suâ tantum gratiâ tibi mandet, sive suâ & tuâ, sive tuâ tantum, sive suâ & alienâ, sive tuâ & alienâ. At, si tuâ tantum gratiâ mandatum sit, supervacuum est mandatum: & ob id nulla ex eo obligatio, nec mandati inter vos actio nascitur. Mandantis tantum gratiâ intervenit mandatum, veluti si quis tibi mandet, ut negotia ejus gereres, vel ut fundum ei emereres, vel ut pro eo sponderes. Tuâ gratiâ & mandantis, veluti si mandet tibi, ut pecuniam sub usuris crederes ei, qui in rem ipsius mutaretur: aut si volente agere cum eo ex fidei iussoria causa mandet tibi, ut cum reo agas periculo mandantis: vel ut ipsius periculo stipuletis ab eo, quem tibi deleget in id quod tibi debuerat. Alienâ autem tantum causâ intervenit mandatum: veluti si tibi aliquis mandet, ut Titii negotia gereres, vel ut Titio fundum emereres, vel ut Titio sponderes. Suâ & alienâ: veluti si communibus suis, & Titii negotiis gerendis tibi mandet, vel ut sibi & Titio fundum emereres, vel ut pro eo & Titio sponderes. Tuâ & alienâ, veluti si tibi mandet, ut Titio sub usuris crederes, quia si sine usuris pecuniam crederes, alienâ tantum gratiâ intercedit mandatum.] Est ergo hæc quinta divisio mandati, desumpta ab objecto, & sine intento, ut dixi.

Videri autem posset hæc divisio non esse adequata, posseque sextam speciem adijci, nempe si mandatum meâ, tuâ, & alienâ gratiâ contraheretur, cuius exemplum defamii posset ex leg. 3. §. 4. ff. h. t. ut observavit Iulius Pacius, & sic habet. [Si tutores mandaverint contutori suo mancipium emendum pupillo, & ille non emerit, an sit mandati actio, & utrum tantum mandati, an verò & tutelæ. Et Iulianus distinguit: resere enim, ait, cuius generis servum tutores uni tutorum mandaverint, ut emeret: nam si supervacuum servum, vel etiam onerosum, mandati actione tantum eam teneri, tutela non teneri. Si verò necessarium servum, tunc & tutelæ eum teneri, &c.] Ecce hoc mandatum cedit in utilitatem tam mandantis, quam mandatarii, utpote conatoris, & quam alterius tertii, nempe pupilli. Respondet Ludw. vel, in hac lege novam speciem non poni, sed mandatum tantum mandantis & alterius nempe pupilli gratiâ contrahi, ex accidente verò, & præter intentionem mandantis etiam mandatarii commodum versari, quoniam is contutor est, cuius interest necessarium servum pupillo emi. Verum, hac responsio non tollit difficultatem. Primò, quia sic aliqua exempla ab ipso Imperatore paulò antè allata improbanda essent, ut mandatum mutui cum usura, quæ sanè non intenditur à mandante, nam si sine usuris mutuum obtrineri posset, id sanè mallet. Secundo, non satisfacit ideo responsio, quia, esto in illius legis casu non esset talis specics mandati, nunquam tamen ostenderet Ludw. vel, non posse huiusmodi mandatum fieri, quo & sua mandantis, & mandatarii, & alterius tertii utilitas intendatur: v. g. si mandaretur, ut pecunia sub usuris Petro crederetur, qui mutuum desiderat in gratiam ipsius mandantis, cui sic poterit servire emendo aliquid, &c. Et ideo Iulius Pacius admittit hæc speciem à cæteris distinctam: & ostendit, non posse plures quam septem species excogitari: (quarum tamen una inutilis est, ut ait Imp. verbis cit.) hoc modo. In mandato tres personæ spectari possunt: mandator, mandatarium, & extraneus: hinc oriuntur tres modi simplices, id est, in quibus una persona consideratur, nempe mandantis causâ, mandatarii causâ, & alienâ sive extraneæ causâ: & totidem ex duabus personis conjuncti, mandantis & mandatarii gratiâ, mandantis & extraneæ, mandatarii & extraneæ: ac denique unus modus conjunctus ex tribus personis, quem modum cum glossa admittunt merito Pacius & alii, quos sequitur P. Molina ponens exempla. ut si Petrus mandet Ioanni, ut utrique ipsorum ac Francisco conductor aut emat, ut fidei jubeat pro pretio rei omnibus tribus emptæ.

669. Quæres 1. An alieno acquiratur obligatio, quando in illius utilitatem mando, &c. Negative: nemo enim alteri potest obligationem acquirere, ut alicui explicatum est, & habetur

betur l. 38. §. 17. ff. de V. O. Itaque in tali casu soli mandanti acquiritur actio mandati.

Quæres 2. Quæ causa sit, quòd non nascatur actio mandati, quando in solius mandatarii utilitatem tendit mandatum. Rationem esse, quia tunc potius agit mandans consiliarium, quam mandantem: at qui consilio nemo obligatur, sed integrum est acceptare vel repudiare consilium: & ideo, si acceptato consilio damnum inde incurrat, non habet adversus consulentem actionem. Ita habetur §. 6. Inst. ubi ponitur exemplum. [Itaque si otiosum pecuniam domi te habentem hortatus fuerit aliquis ut rem aliquam emeret, vel eam crederes: quamvis non expediat tibi eam emisse, vel credidisse, non tamen tibi mandati tenetur. Et adeo hæc ita sunt, ut quaesitum sit, an mandati tenetur, qui mandavit tibi, ut pecuniam Titio fenerares, sed obtinuit Sabini sententia, obligatorium esse in hoc casu mandatum, quia non aliter Titio credidisses, quam si tibi mandatum esset.] Addendum tamen videtur (alioquin ratio non est sufficiens) quòd non in solius mandatarii gratiam, sed etiam & principaliter in gratiam Titii mandatum sit, prout etiam insinuat Hunnius q. 14. & apud hunc Donellus.

670. Quæres 3. Quidsi dolo consilium noxium datum esset, an tunc teneretur mandans mandatario de damno? R. Non teneri quidem actione Mandati, sed tamen actione de dolo, ut constat ex dictis tractat. 2. De Causis concurrentibus ad damnum alterius, & colligitur à fortiori ex l. 8. ff. de dolo. [Quodsi, cum scires eum facultatibus tibi, tui lucri gratia affirmasti mihi idoneum esse, merito adversus te, cum meo decipiendi gratia alium falsò laudasti, de dolo iudicium dandum est.] Quare non satis apparet, quomodo defendi possit, quòd tradit Vlpianus in l. 6. §. 5. dicens, quòd alter, cui datum est consilium noxium, tenetur etiam actione mandati, si aliter non fuisset operaturus, nisi consilium datum esset: his verbis. [Planè si tibi mandavero, quòd tua intererat, nulla erit mandati actio, nisi meà quoque interfuit: aut NB. si non esses facturus, nisi ego mandassem, & si meà non interfuit, tamen erit mandati actio.] Hoc advertit Goffredus in glossa, & ideo addit: *Et cavissimè damnum tibi præstari.* aliàs, inquit, non teneo. Vnde P. Molina ante n. 4. propter hoc carpit Vlpianum, quòd admiserit actionem mandati. Aliqui tamen defendunt Vlpianum, dicendo, quòd in textu adducto non proponatur casus, quo solius mandatarii gratia consilium datum fuit, sed quo & alterius persona adjecta, puta, ut Titio feneraretis. Ita Donellus & Ludw. sed nisi fallor divinatorie, imò vix satis coherentur ad totum contextum. Nam præcedente §. ponebatur casus, quo in alterius gratiam mandatum esset. Quidquid fit: in tali casu actio mandati non datur propter textum Institutionum,

& rationem generalem ibi datam, quia est meritum consilium. quidquid aliqui tenent, quos secutus est V. Varr. ferus, V. Vidm. & Treutlerus vol. 1. d. 27. th. 5. lit. G. quem ibidem refertur Bac. hoviis, & Hunnius.

CONTROVERSIA IV.

Ex qua culpa teneatur Mandatarius exequi negotium commissum.

SUMMARIUM.

AN Mandatarius teneatur de culpa lata aut levi. 671.
An de culpa levissima. 672.
Cur in hoc contractu non observetur Regula vigesima tertia. 673.
Intellectus legis 8. §. ult. ff. Mandati. 674.
Intellectus Regule 23. ff. de R. I. 675.

671. **E**rrum est 1. De casu fortuito mandatarius non teneri, ut constat ex legibus adducendis: nisi se sponte ad eum quoque præstandum obligaret.

Certum est 2. Ad minimum teneri etiam ex culpa lata, imò etiam ex culpa levi, saltem tunc, quando etiam ipsius mandatarii utilitatem spectat, ex regula generali supra tradita. Difficultas ergo est, quando solius mandantis utilitatem spectat, an tunc etiam de culpa levitate teneatur mandatarius. Deinde est valde controversum, an universim teneatur mandatarius etiam ex culpa levissima, etiam si nulla illius utilitas spectetur.

Est autem prima sententia, Mandatarium nunquam teneri ex minore culpa, quam ex lata, si solius mandantis utilitas spectetur in contractu. Ita Duarenus h. r. c. 2. Mynfinger, Rittershusius, & quidam alii apud Harpprecht n. 21. Eandem tenet P. Azor.

Secunda sententia obligat ad culpam etiam levem, sed non levissimam. Ita post alios V. Vidm., & videtur magis inclinare in hanc sententiam P. Molina, qui tamen ad Iura contraria, quæ refert n. 6. aliud non responderet, quam quòd oportet, ut tot Iura invicem contraria, quæ litibus fomenta præbent, malique alia invehunt, absconderentur, paucissimisque regulis perspicuis hæc & his similia disponerentur.

672. Tertia sententia, quæ mihi verior videtur, vult, semper illi etiam levissimam culpam esse præstandam. Hæc est apud Iuristas longè communior, cuius Auctores longo catalogo refert & sequitur Harpprecht. VVurmerus vult esse evidentem, Hunnius vocat longè veriore, & Ant. Perez tradit ut indubiam.

Probatum autem hæc sententia, 1. ex leg. 13. C. h. t. ubi sic scribitur Imp. A Procuratore do-

Am & omnem culpam, non etiam improvissimam casum præstandum esse, Iuris auctoritate manifestè declaratur. Qui sanè textus fortissimè urget, dum omnem omnino culpam vult abesse debere, & solum casum fortuitum prout opponitur culpa excipit: opponitur autem culpa levissima.

Respondent adversarii, hunc locum esse intelligendum de negotio, quod exigit diligentiam exactissimam, ad exemplum locantis operas suas, qui ceteroquin non tenetur, nisi de levi culpa, tali tamen casu ad levissimam adstringitur l. 25. §. qui colummam. ff. locati. Verùm, hæc responsio non satisfacit: si enim hoc voluissent Imperatores, non erat opus pro fundamento asserere Iuris auctoritatem: nam quando opus ex natura sua exigit exactissimam diligentiam, Iure quoque nature ad eam præstandam adstringitur is, qui opus perficiendum recipit. Nimis ergo divinatoria est hæc responsio & Iuris interpretatio.

Probatum 2. & prior probatio contra datam interpretationem confirmatur ex lege 21. C. eodem. ubi nimis clarè requiritur ab omni mandatario exacta diligentia, excludens omnem omnino culpam. [In re mandata non pecunie solum, cuius est certissimum mandati iudicium, verùm etiam existimationis est periculum. Nam lux quidem quisque rei moderator atque arbiter non omnia negotia, sed pleraque proprio animo facit. Aliena verò NB. negotia exacto officio geruntur, nec quisquam in eorum administratione neglectum ac declinatum culpam vacuum est.]

Probatum 3. Ratione. Qui alteri negotium gerendum committit, eligit singularem personam idoneitatem & industriam, petitque ut ex officio amicitie id administret, ut amicum decet: & dum alter negotium recipit, hanc ipsam diligentiam tacite pollicetur, vel certe deceret eam polliceri: ergo non potest conquirit, quòd, si ipse alioquin se non adstringeret, à Iure adstringatur. Et hæc sunt huius sententiae fundamenta. Sed neque contraria sententia suis Iuribus est destituta.

673. Primum itaque, fundat se in regula generali, quòd quando in aliquo negotio utilitas debitoris non agitur, sed omne commodum, vel ad creditorem, vel alium spectat, non præstetur, nisi dolus & lata culpa, ut in Deposito, ubi Iura dabimus. atqui tale est Mandatum; de quo disputamus. ergo. Ad hoc tamen responderi commodè potest, excipiendum esse illud negotium, ad quod perficiendum eligitur industria specialis, & non mera custodia, reponendo rem inter res suas, ut fit in deposito: qui enim aliquid apud alterum deponit, nisi aliud paciscatur, non exigit aliam curam, quam ut res deposita habeatur instar rerum propriarum, & inter res proprias: quare si depositarius circa res proprias non nisi latam culpam solet cavere, cum hac diligentia

deponens quoque contentus esse debet, quia non tenetur se ad majorem sollicitudinem obligare velle depositarius. Aliter mandatarius, qui opus perficiendum eadem industria tenetur possidere, qualem amicus ab amico merito sperat; ad quod est elegans locus quem ex Cicerone assertur Hunnius. [In privatis rebus si qui rem mandatam non modo malitiosius gesserit, seu quaesitis, aut commodi causa, verùm etiam negligentius, is admittit summum dedecus. Quid enim recipis mandatum, si aut ad tuum commodum conversurus, aut neglecturus es. Cur mihi te offers, ac meis commodis officio simulato officis & oblas?]

674. Difficilius argumentum sumitur ex lege 8. §. ult. ff. h. t. ubi is cui mandavi, ut hominem emeret, dicitur mihi teneri, si emere neglexerit, vel dolo, vel lata culpa. Respondet Hunnius, in dicta lege non solum asseri, quòd Procurator tenetur de dolo & lata culpa, sed statim adici, si Procurator rem ex mandato receptam non restituit, eum non teneri, si ejus dolus non interveniat, vel culpa: quo vocabulo, cum sit generale, comprehenditur etiam culpa levissima. Verùm, hæc responsio vim infert textui, nam ex contextu constat, ibi per culpam intelligi culpam latam, de qua nempe priùs sermo erat. Audiamus ipsum Vlpianum. [Proinde si tibi mandavi, ut hominem emeret, utque emissi, teneberis mihi, ut restituas. Sed & si dolo emere neglexisti (fortè enim pecunia accepta alii cessisti, ut emeret) aut NB. si lata culpa (fortè si gratia ductus pactus es alium emere) teneberis. Sed & si servus, quem emisti, fugit, siquidem dolo tuo, teneberis: si dolo non intervenit nec culpa, non teneberis, nisi ad hoc, ut caveas, si in potestatem tuam pervenerit, restituitur.] Aliter ego responderem, & dicerem, hunc textum non esse ab Vlpiano conceptum, ad explicandum, ad quam culpam præstandam tenetur mandatarius quæ talis. sed ad hoc ut declararet in exemplo regulam generalem, quam posuerat §. immediatè præcedente, nempe. *Dolo autem facere videtur, qui id, quod potest restituere, non restituit.* & statim connectit sequentem §. *Proinde si tibi mandavi, &c.* Quando autem postea dicit, quòd si servus fugit, tenetur, si ejus culpa fugit, dico eum loqui de culpa lata, ex qua sola tenetur non ut mandatarius (mandatum enim jam impleverat emendo) sed ut depositarius, quia habebat servum in deposito, ex deposito autem solum tenetur culpa & dolus præstandus. Torus ergo textus eò tendit, ut declaret, quòd qui non restituit rem alienam, quam potest restituere, si res percat, tenetur de dolo, & de culpa quæ dolo comparatur.

675. Ultimium, pro hac sententia argumentum desumitur ex Regula Iuris 23. cuius tamen difficultatis nullam mentionem, multò minus solutionem invenio in Hunnio, Harpprecht, E c

V. Vultum, aut alio. faciunt illi quidem mentionem regulæ generalis, sed non advertunt ad verba & exempla quæ ibi ponuntur: [Dolum tantum Depositum, & Precarium, Dolum & culpam N.B. Mandatum & Commodatum, Venditum, Pignori acceptum, Locatum, item doris dario, tutela, negotia gesta.] Ecce! quod sicut ex locato, vendito, &c. non tenetur quis nisi ad culpam levem, ita nec ex mandato. Item, inquit P. Molina, sicut in Commodato attenditur, in cuius nam gratiam factum sit, ut inde definitur, ex quanta culpa teneatur, ita & in Mandato. Et hoc solum argumentum terruit P. Molinam: sed immerito, nam meo iudicio facilis solvitur, quam priora. Comparatur quidem ibi mandatū cum cæteris enarratis, quod præter Dolum præstanda sit culpa, sed est tunc sermo de culpa generice sumpta, præscindendo à culpa levi & levissima. Postea autem dicitur: *in his quidem & diligentiam*, nempe in negotiis gestis. atqui etiam mandatarius est negotiorum gestor, non quidem ex quasi contractu, sed ex contractu. Cæterum, de mandato ideo nihil specificè dictum est hoc loco, quia in lib. 6. Digest. non erat res decisa, sed postmodum in Codice locis citatis pro tertia, & mihi veriore sententia.

CONTROVERSIA V.

Quenam sint inter Mandatorem, & Mandatarium Obligaciones, & Actiones reciproca.

SUMMARIUM.

AD quid obligetur Mandatarius Mandanti. 676.
 Quisq; negligit executionem, & non renuntiat. 677.
 Ad quid præterea obligetur Procurator. 678.
 Mandatario competit actio Mandati contraria. 679.
 Quomodo & quousque hæc actio competit fideiussori contra debitorem principalem. eod.
 Aliæ Obligaciones Mandantis. 680.
 An teneatur præstare casum fortuitum & damnum incursum in executione. eod.
 Distinctio inter casus fortuitos. 681.

676. **DICENDUM** 1. Mandatarius obligatur Mandatori, ut tempore congruo integrè & bonâ fide mandatū exequatur, & illi restituat, si quod emolumentum, vi executionis mandatū ad eum pervenit, & ut perveniret, intendebatur per contractum saltè in confuso, & per consequentiam; item si quid residuum remansit ex illis quæ mandator dederat ad mandatū exequendum. Ad hæc igitur consequenda datur Mandatori, e jusque hæreditibus actio

Mandati *Directa* (si dicta non ut opponitur actioni utili, sed ut opponitur actioni contraria, de qua postea) quæ tamen intelligenda sunt, si Mandatarius non renuntiaverit satis tempestivè. Dari has obligationes, & actiones, habetur *Instit. §. 11. h. 1.* [Mandatū non suscipere cuilibet liberum est, si ceptum autem consummandum est, aut quamprimum renuntiandum, ut per semetipsum, aut per alium eandem rem mandator exequatur.] Clarius & distinctius habetur *l. 11. c. h. 1.* [Procuratorem non tantum pro his quæ fecit, sed etiam pro his quæ gerenda suscepit, & tam propter exactam ad mandatū pecuniā, quam non exactam, tam dolum, quam culpam, sumptum ratione bonâ fide habitâ præstare necesse est.] & *l. seq.* [Cum mandatū negotii contractum certam accepisse legem adseveres, eam integram secundum bonam fidem custodiri convenit. Vnde, si contra Mandati tenorem Procurator tuis ad te pertinentem fundum vendidit, nec venditionem postea ratam habuisti, dominium tibi auferre non potuit.] Huc pertinent lura seq. Controversiâ adducenda, quibus cavetur, ne mandatarius sine mandatū pretergrediat. Actio autem competens vocatur *Directa. Instit. §. ex quibus de Pæna temerè litigantiū.*

677. **DICENDUM** 2. Si interest Mandatoris, mandatū fuisse executioni datum secundum tenorem & formam præscriptam, ac bonam fidem, & mandatarius negligat, nec renuntiet, si possit, condemnatur in id quod interest, si autem nihil interfit, cessat mandatū obligatio. *l. 16. c. h. 1.* [Ad comparandas merces datâ pecuniâ, qui mandatū suscepit, fide ruptâ, quanti interest Mandatoris, tenetur.] *l. 8. §. 6. ff. h. 1.* [Mandati actio tunc competit, cum caput interesse ejus qui mandavit. Cæterum, si nihil interest, cessat mandatū. ut puta, mandavi tibi, ut fundū emeris, si intererat meâ emi, teneberis: cæterum, si eundem hunc fundum ego ipse emi, vel alius mihi, neque interest aliquid, cessat mandatū actio.] Limitatur tamen, nisi Mandatarius non possit renuntiare. *l. 27. §. 2. ff. h. 1.* [Qui mandatū suscepit, si potest id explere, desistere promissum officium non debet: alioquin quanti mandatoris interest, damnabitur: si autem intelligit, explere se id officium non posse, id ipsum cum primū poterit, debet mandatori nunciare, ut is, si velit, alterius operâ utatur: quodsi cum possit nunciare, cessaverit, quanti mandatoris interest, tenebitur: si aliqua ex causa non poterit nunciare, securus erit.]

678. **DICENDUM** 3. Procuratori incumbit etiam rationem reddere negotii gesti, & non solum ea restituere quæ ad eum per causam mandatū pervenerunt, ut sunt fructus, usurae peremptæ, & ex mora præstandæ, sed etiam, si per errorem vel injuriam Iudicis indebitum per causam mandatū consecutus est, id quoque restituere tenetur, item & actiones quæ sitas mandatori cede-

cedere. Habentur hæc *l. 46. §. 4. ff. de Procuratorib.* [Procurator, ut in cæteris quoque negotiis gerendis, ita & in litibus ex bona fide rationem reddere debet. Itaque quod ex lite consecutus erit, sive principaliter ipsius rei homine, sive extrinsecus ob eam rem, debet mandati Iudicio restituere: usque adeo, ut etsi per errorem, aut injuriam Iudicis non debitum consecutus fuerit, id quoque reddere debeat.] *l. 10. §. 2. c. 3. ff. h. 1.* [Si ex fundo quem mihi emis, Procurator fructus consecutus est, hos quoque officio Iudicis præstare eum oportet. Si Procurator meus pecuniā meam habeat, ex mora utique usuras mihi pendet. Sed & si pecuniā meam fœnorâ dederit, usuras quoque consecutus est, consequenter dicitur, debere eum præstare, quantumcumque emolumentum sensit, sive ei mandavi sive non; quia bonæ fidei hoc congruit, ne de alieno luctum sentiat. Quodsi non exercuit pecuniā, sed ad usus suos convertit, in usuras convenietur, quæ legitimo modo in Regionibus frequentantur.] & *l. 8. §. 5.* habetur casus, ubi mandatarius cogitur cedere actionem, quam acquisivit contra emptorem bonæ fidei. [Si liber homo, cum bonâ fide serviret, mandaverit Titio, ut redimeretur, & nummos ex eo peculio dedit, quod ipsum sequi, non apud bonæ fidei emptorem relinqui debuit. Titiusque pretio soluto liberum illum manumiserit, mox ingenuus pronuntiatuſ est, habere eum mandati actionem Iulianus ait adversus eum cui se redimendum mandavit, sed N.B. hoc tantum inesse mandatū iudicio, ut sibi actiones mandet, quas habet adversus eum, à quo comparavit.] Mandatori tamen etiam ante talem cessionem utiles actiones accommodantur adversus eos, qui cum Procuratore contraxerunt, præsertim si non sit solvendo. *l. 1. in fine. junctâ. l. 2. ff. de institoria act.* ibi. [Marcellus autem ait, debere dari actionem ei, qui institorum præposuit, in eos qui cum eo contraxerint: eo nomine quo institor contraxit, si modò aliter rem suam servare non potest.] Vbi monèo, in exemplari impresso Coloniae Allobrogum 1614. esse omissam particulam *Non*. Et hæc de obligationibus Mandatarii.

679. **DICENDUM** 4. Mandatario competit actio *Mandati*, quæ dicitur *Contraria*, adversus mandatorem, quâ potest consequi ea, quæ sunt ipsi necessaria ad mandatū executionem, item ad refundendum, quod expendit ex propositis in exequendo mandato, vel damnum quod passus est: item ut mandator suscipiat in se obligationem, quam procuratorio nomine contraxit, sive impletum sit mandatū, sive pro impleto habeatur. Habentur hæc seq. iuris. *l. 12. §. 7. ff. h. 1.* *Contrario Iudicio experiuntur, qui mandatū suscepunt.* & *§. 17. ibi.* [Illum verò, qui mandatū suscepit, si suâ pecuniâ fecit (monumentum) puto agere mandatū, si non ita mandatū ei est, ut suâ pecuniâ faceret monumentum, potuit enim

agere etiam cum eo, qui mandavit, ut sibi pecuniā daret ad faciendum, maxime si jura quædam ad faciendum paravit. Idem est, si mandavi tibi, ut post mortem meam hæreditibus meis emeris fundum.] *l. 27. §. 4.* [Supradicti mandatari exequendi gratiâ facta, si bonâ fide facta sunt, restitui omnimodo debent: nec N.B. ad rem pertinet, quod is qui mandasset, potuisset, si ipse negotium gereret, minus impendere.]

Quomodo & quousque hæc actio competit fideiussori tanquam mandatario contra debitorem principalem, ut illi refundat, quod pro eo solvit, aut reparat damnū, quod incurrit per fideiussionem, & ut eum opportuno tempore liberet à fideiussione, dictum est tract. 9. eum ageretur de Stipulatione fideiussoris, & iterum non repeto.

680. **DICENDUM** 4. Tenetur etiam Mandator debita ex mandato contracta in se recipere, & mandatarius liberare, vel certè illi cavere, quod debet eum indemnem servare, quo casu vicissim tenetur mandatarius cedere actiones. Aliud tamen est in procuratore ad lites, qui non potest agere, ut transferatur iudicium ceptum in mandatore, quia hec dum perfecit mandatū, sicut perfecit emendo v. g. fundum. Hæc omnia enucleatè tradit Paulus *l. c. in l. 45. per duos §§. ff. h. 1.* [Si mandatū meo fundum emeris, an & antequam des pretium. (agere possit) ne necesse habeas res tuas vendere? & rectè dicitur, in hoc esse mandatū actionem ut suscipiam obligationem, quæ adversus te venditori convenit: nam & ego tecum agere possim, ut prætes mihi adversus venditorem empti actiones. Sed si mandatū meo iudicium suscepisti, manente iudicio sine justa causa non debes meum agere, ut transferatur iudicium in me, nondum enim perfecisti mandatū. Item si dum negotia meâ geris, alicui de creditoribus meis promiseris, & antequam solvas, dicendum est te agere posse, aut si nolit creditor obligationem mutare, cavere tibi deo defensorum te.]

Controversium est, an mandator teneatur mandatario præstare casum fortuitum, & damnum quod incurrit in executione mandatū, v. g. si in itinere spoliatus est. Plerique R.R. Iuristæ, quos sequuntur Ant. Petrez n. 16. & V. Vidian n. 57. absolute respondent negativè, & habent pro se textum fortissimum in leg. 26. §. 6. ff. h. 1. [Non omnia, quæ impletur non fuit (Procurator) mandatori imputabit, veluti, quod spoliatus sit à latronibus, aut naufragio res amiserit, vel languore suo suorumque apprehensus quædam erogaverit. Nam hæc magis casibus, quam mandatori imputari oportet.] Hunc textum ita generaliter ut verba sonant, intellectum non immerito putat Accursius & alii non satis aequitati congruere, & ideo de curialitate non esse servandum. Bartolus verò ad hunc textum notat,

Legato seu ambasciatore res vi ablatas in ipsa legatione restituendas esse ab eo cuius legatione surgitur.

681. Rectius alii distinguunt inter casum fortuitum qui aliquo modo poterat prævideri & prudenter timeri, & inter eum, qui non poterat ita prævideri. priorem, non item posteriorem ajunt esse præstandum mandatori, quia videtur in eum tacite consentire. Itã antiquus glossator Ioannes Andreas, & Abbas Panormit. quos sequitur P. Azorius c. 6. Habet hæc distinctio fundamentum in iure, quoad utrumque membrum. Et quidem secundum membrum probatur adducto textu. Primum verò membrum ad minimum (ut priori textui non contrarietur) colligitur ex lege 61. §. 5. ff. de furtis. [Quod verò ad mandati actionem attinet, dubitare se ait (Africanus) nam æquè dicendum sit, omnimodo damnum præstari debere. Et quidem hoc amplius, quàm in superioribus causis servandum, ut NB. etiam si ignoraverit is qui certum hominem emi mandaverit, furem esse, nihilominus tamen damnum decidere cogetur. Iustificum enim procuratorem allegare, non fuisse se id damnum passurum, si id mandatum non suscepisset.] Hoc ipsum tamen existimo, adhuc limitandum esse, & intelligendum solum de mandato, quod nullo modo gratiã ipsius mandatarii datum est, nam si etiam mandatarii gratiã datum esset, putarem, proportionem servatã, minus mandatori præstandum esse, quod colligo tum ex æquitate, tum ex verbis paulo post sequentibus: [æquius esse, nemini officium, quod ejus cum quo contraxit, non etiam sui commodi causã suscepit, damnosum esse.]

CONTROVERSIA VI.

In quo rigore fines mandati sint Mandatario observandi.

SUMMARIUM.

Regula generalis in observandis finibus mandati. 682.
An nullo expresso pretio possit vendi minimo, vel emi maximo. eod.
Quid si emit vilis, aut vendidit carius, quàm fuerit mandatum. 683.
An lucrum ad mandantem spectet. eod.
An competat actio contraria ad consequendum pretium mandatum, si carius emit. 684.
Intellectus legis 41. ff. Mandati. eod.
An detur utilis negotiorum gestorum actio ad excessum consequendum. 685.
An liceat aliud pro alio agere existimanti, placiturum mandanti. 686.
An connexa consentant implicite mandata. 687.

Intellectus legis 13. pr. ff. de pactis. & l. 86. ff. de solut. eod.

An qui mandat medium, censetur mandasse finem. eod.
An mandatarius possit suas vias alteri mandare. 688.

682. **R**egula generalis est, Mandatario fines mandati itã observandos esse, ut eos neque prætergrediatur, neque deficiat, si quidem nec actione mandati directã teneri, nec actione contrariã desitui velit. *Inst.* §. 8. [Is qui exequitur mandatum, non debet excedere fines mandati: ut ecce! si quis usque ad 100. aureos mandaverit tibi, ut fundum emeret, vel ut pro Titio sponderes, neque plus emere debes, neque in ampliorem pecuniam fide jubere, alioquin non habebis cum eo mandati actionem.] & l. 5. ff. h. t. [Diligenter igitur fines mandati custodiendi sunt, nam qui excessit, aliud quid facere videtur. & si susceptum non impleverit, teneatur.] [Ex tali itaque transgressione soli mandatario potest præjudicari. Exemplum. Si v. g. tibi minori pretio vendit, cum non transferat in emptorem dominium, etiam si tradat, ob defectum consensu in mandante Domino, potest mandans rem illam evincere & vindicare: quo factò tenebitur mandatarii emptori de evictione. Quòd autem dominium non transferatur habetur. *lege. 12. C. h. t. paulo superius relata: & l. 5. §. 4. ff. h. t. ubi limitatio additur.* [Servo quoque dominus si præceperit certã summã rem vendere, ille minoris vendiderit: similiter vindicare eam dominus potest, nec ullã exceptione sumoveri, NB. nisi indemnitas præteretur.] id est, nisi pretium augeatur.

QUÆRITUR. 1. Si mandans rem vendi, vel emi, nullum pretium expressit, an alter satisfaciat mandato, si rem bonã fide & iusto pretio tametsi minimo vendat, vel maximo emat. *g.* affirmativè. l. 3. §. 1. ff. h. t. [Et quidem si mandavi tibi, ut aliquam rem mihi emeret, nec de pretio quidquam statui, tuque emisti, utrinque actio nascitur.] Ratio est, quia nihil certi præscribendo, fidei mandatarii, atque iudicio rem reliquit.

683. **QUÆRITUR. 2.** Vtrum mandatarius mandatum impleverit, si rem vendendam vendidit carius quàm fuerit à mandante præscriptum, vel emit vilis, quàm mandans concesserit ut emeretur. *g.* Affirmativè nam in tali casu nihil incommodum, sed potius commodum consequitur mandator, ut jam dicitur. Itaque

QUÆRITUR. 3. An in tali casu mandatarius teneatur mandanti lucrum restituere, nempe id quod emendo comparit, vel vendendo plus pretii consecutus est, & quidem vi mandati, si quidem mandans nihil expressè direxit, nam si dixisset, quòd vellet contentus esse pretio præ-

prescripto, & si quid ultra consequi posset vendendo, id lucrum ipsius esset, tunc sanè non posset lucrum consequi actione mandati, quia pactum servandum est. Respondetur, totum emolumentum cedere mandanti ex presumptione voluntatis, quòd pretium v. g. itã taxaverit, ut nollet infra vendi, vel supra emi: Si tamen posset plus vendi, vel vilis emi, hoc quoque ex mandato futurum. Et hoc sibi volunt jura, quando dicunt, quòd mandatarius possit causam mandantis facere meliorem. §. 8. *Inst. h. t. ibi.* [Quòd si minoris emeret, habebis scilicet cum eo mandati actionem, quoniam NB. qui mandat, ut sibi centum aureorum fundus emeretur, is utique mandasse intelligitur, ut minoris, si possit, emeretur.] & l. 5. §. ult. ff. h. t. [Melior autem causa mandantis fieri potest, si cum tibi mandassem, ut Stichum decem emeret, tu eum minoris emitti, vel tantidem, vel aliud quidquam servo accederet, utroque enim casu aut non ultra pretium, aut infra pretium fecisti.] Probari etiam posse videtur ex eo, quòd ut supra dictum est, Mandatarius teneatur ad exactam diligentiam: atqui non adhiberet exactam diligentiam, si oblatã occasione carius vendendi, vel vilis emendi, id non faceret in gratiam mandantis. ergo si hanc diligentiam adhibuit, ea debet mandanti proficere: ergo si vellet in suum commodum vertere, posset actione mandati conveniri.

684. **QUÆRITUR. 4.** Si mandatarius rem carius emit, quàm erat mandatum, an nulla illi competat actio mandati contraria, saltem ad consequendum illud pretium, quod erat mandatum. Ad hoc respondet Imperator §. 8. referens dissonantes antiquorum opiniones, his verbis. [Adeo quidem, ut Sabino & Cassio placuerit, etiam, si usque ad centum aureos (qui erant mandati) cum eo agere volueris, inutiliter te acturum. Sed diversè scholæ auctores rectè usque ad centum aureos te acturum existimant, quæ sententia sanè benignior est.] Itaque mandatum tenebit, si vel mandatarius velit venditori de excessu satisfacere, vel venditor velit remittere.

Objici posset lex 41. ff. h. t. ubi mandanti conceditur actio, mandatario autem penitus negatur. [Potest & ab una tantum parte mandati iudicium dari: nam si is qui mandatum suscepit, egressus fuerit mandatum, ipsi quidem mandati iudicium non competit, at ei qui mandaverit, adversus eum competit.] Respondet bene V Vurmserus, vel hanc legem loqui de alio casu, nempe quando non res mandata, sed ejus loco alia emptã fuit, vel esse intelligendam, quòd non possit actione contrariã consequi excessum quo rem emit. Hinc tamen

685. **QUÆRITUR. 5.** An saltem mandataria concedenda sit utilis negotiorum gestorum actio ad excessum consequendum. Af-

firmant, saltem de æquitate, Martinus Glossator, Io. Fabri & Hunnius in *Trenil. lib. 7. lit. G. q. 17.* Respondendum tamen est negativè. Ratio est, quia hæc esset via eludendi leges negantes actionem mandatariorum, & quia mandans est rationaliter invitus ad talem excessum, utpote quem in mandato prohibuit atque contra invitum non habet locum actio negotiorum gestorum, ut dicitur infra.

686. **QUÆRITUR. 6.** An liceat mandatario aliud pro alio, hoc est, loco illius quod mandatum est, facere, si existimet, id magis commode cessurum mandanti. v. g. accipi mandatum emendi fundum Tusculanum, ego verò, oblatã occasione, & existimans utilius fore mandanti, loco fundi Tusculani emò fundum Sempromianum. Tractatur hæc quæstio apud Gellium l. 1. c. 13. Absolutè loquendo dicendum est, non licere, & talem mandatarium nullam actionem mandati contrariam habiturum, et si contra eum mandans haberet actionem mandati. Ratio est, quia reverã talis transgreditur fines mandati, & potius negotiorum gestorem agere attemptat, quàm mandatarium: neque comini sum est illi, ut suo iudicio ageret: itaque talis perinde se haberet, ac si nullum mandatum accepisset. Cujus rei exemplum habetur in factò Publij Craffi Mutiani, qui cum pararet obsidere Leucæ oppidum, & opus haberet firmã ac procerã trabem, ex qua artem confici curaret, quo minus quateret, scripsit ad Magistrum architectonicæ Atheniensium, ut ex duobus malis quos apud ipsum viderat, mitteret majorem. Magister verò arbitratus minore fore aptiorem ad intentum Gellij minore misit. Gellius illi vocatũ, & rationibus auditis, illis non obstantibus iussit vestibus exui & virgis cedi. Hinc Iuriconsulti tradunt, quòd Legato à Principe vel Republica ad negotia publica tractanda, non liceat à mandati formulã recedere, quantumvis ipse judicaret, id è re principis fore: quia periculosum est, ab unius privati hominis iudicio Republicæ negotia pendere: quòd tamen intelligendum monent, nisi instructioni inserta esset clausula: *Reliqua tua prudentia & discretioni committimus.* imò & hac insertã tutius esse monent, si tempus & occasio ferant, super causa de novo incidente consulere Principem.

687. **QUÆRITUR. 7.** Vtrum illi cui aliquod negotium mandatum est, & de aliis connexis nihil dictum, v. g. mandata est emptio, vel locatio, sed nihil expressum de exigenda pecunia, an implicite consentant huiusmodi connexa etiam reliqua mandata. *g.* Si negotiorum mandatum sine reliquis expediti non potest, utique consentant etiam reliqua mandata. Nam, ut Philosophi dicunt, qui vult finem, vult media necessaria ad illum finem: & qui vult consequens, vult etiam antecedens necessarium. Hinc inferunt Icti, quamvis Imperium mixtum

fit à Iurisdictione simpliciter diversum; quando tamen Iurisdictione non potest obtinere suum intentum sine Imperio, cui mandata est Iurisdictione, ceteri etiam mandatum Imperium mixtum, l. fin. ff. de officio eius cui mandata est Iurisdictione.

Imò extendunt etiam ad connexa quae quidem separari possent, sed communiter consensuntur ad id quod mandatum est, v. g. cui emptio vel locatio est mandata, nisi excipiatur, censetur etiam mandata exactio pretii vel mercedis aut pensionis: argumento legis. l. ff. §. 12. ff. de exercitoria act. ubi dicitur: vel si ad locandum tantum, non ad exigendum, quibus verbis fiebat exceptio: ad exigendum ergo si non excipitur, subintelligitur.

Obijci tamen solet lex 13. pr. ff. de Passis, & lex 86. ff. de solut. ubi dicitur, pecuniam debitam non posse exigi à procuratore seu mandatario. Sed facile respondetur, ex ipsa lege constare, semonem esse de procuratore ad litem dato, in quo est specialis ratio, quae obstat illi, quo minus exigere possit pecuniam debitam, nempe quia non habet actionem Iudicati, absurdum autem est (inquit lex 86.) cui iudicari actio non datur, ei ante tem iudicatum solvi posse. & additur. Si tamen ad hoc datus sit, ut & solvi possit, solvendo eo liberabitur. hoc est, reus conventus satisfacet, illi solvendo.

Quamvis, ut dictum est, qui finem mandat censetur quoque media necessaria mandasse, non tamen e contrario qui mandat aliquid medium necessarium ad finem aliquem obtinendum, hoc ipso etiam sine mandasse censetur, nisi consuetudo aliud haberet. Exemplum huius habetur in cap. 64. de appellationibus. ubi procurator ad imperandum Iudicem constitutus, litem tamen instituire non potest: quamvis Iudicis procuratio sit preparatoria ad litem instituendam.

688. QUÆRITUR 8. An mandatarus possit suas vices alteri committere, seu alteri mandare id quod sibi mandatum est. ad hoc iam supra responsum est, distinguendo inter mandatarium ad lites, & mandatarium ad negotia. Prior non potest, sed bene posterior. l. 8. §. 3. ff. h. t. [Si quis mandaverit alicui gerenda negotia eius, qui ipse sibi mandaverat, habebit mandati actionem, quia & ipse tenetur: tenetur autem, quia agere potest: quamquam enim vulgo dicitur, procuratorem ante litem contestatam facere procuratorem non posse, tamen mandati actio est: ad agendum enim duntaxat hoc facere non potest.] Itaque in tali casu actio convenit principali mandatori contra illum cui ipse mandavit, & huic e contra. Sed huic contra substitutum convenit etiam directa, non item principali: & substituto convenit contraria con-

tra substituentem, non item contra principalem. Neque refert, quod principalis elegerit industriam personam, nam satis ei consulitur actione directa mandati, si mandatarus non substituit etiam industriam & sufficientem.

CONTROVERSIA VII.

Quinam sint idonei ad mandatum dandum & accipiendum.

SUMMARIUM.

Milites prohibentur mandatum dare vel accipere conducendares aliorum. 689.

Similiter & Curiales. eod.

Item Clerici, & Monachi, quorum tamen actus non essent de Iure Canonico Irrii. eod.

Item procurator ad litem non est idoneus Reipub. causa abfuturus, morbo aut aliter impeditus. 690.

Reus criminis donec crimen purget, prohibetur esse defensor. eod.

An filiusfam. possit dare vel accipere mandatum solvendi pro alio. 691.

An inter patrem & filium possit contrahi mandatum. 692.

An mulier maritata possit mandare fideiussorem, eod.

An, ut alius pro alio fideiubeat, mandare possit. 693.

An ejus bona sunt publicata, possit mandare eorum emptionem. 694.

689. REGULA est, omnem eum posse mandare & mandatum suscipere, qui iure non prohibetur. Mandate enim, & mandatum suscipere est ex genere permissorum, sicut de aliis contractibus dictum est. Videndum ergo, quinam prohibeantur.

Primo ergo milites prohibentur dare mandatum vel accipere conducendares aliorum. l. 31. C. h. t. [Milites nostros alienarum rerum conductores, seu procuratores, aut fideiussores, vel mandatores conductorum fieri prohibemus; ne omnimodo armorum usu ad opus rustre se conferant, & vicinis graves præsumptione cinguli militaris existant.] Idem habetur pluribus legibus C. de Procuratoribus quas referre non est operæ pretium, quia consuetudo contraria prævalet.

Secundo prohibentur Curiales dare mandatum conducendares: Curiales autem sunt, qui Curie obstricti sunt. l. 30. C. eod. [Curialis neque procurator, neque Conductor alienarum rerum, neque fideiussor aut mandator conductoris existat: alioquin nullam obligationem neque locatori neque conducto-

ri ex huiusmodi contractu competere faciunt.]

Tertio prohibentur c. 1. ne Clerici vel Monachi. Clerici Conductores secularium rerum aut procuratores esse, & in fine. Nec non & Monachis omnino contradicimus. Prius tamen se declarat Concilium Moguntinum (cujus est illud cap.) Monasterii negotia bene posse per Monachos procurari.

Quo si tamen contravenirent Clerici, eorum actus non viderentur Iure Canonico irritati arg. cap. 2. [Sacerdotibus & Clericis tuis denunties publicè, ne ministri Laicorum fiant, nec in rebus eorum procuratores existant. Quod si postea facere præsumperint, & occasione ipsius administrationis propter pecuniariam causam deprehendantur in fraude, indignum est eis, ab Ecclesia subveniri, per quos constat in Ecclesia scandalum generari.] Ex quo textu videtur asserendum, quod si negotium esset ejusmodi, quod absque scandalo fieri solet, eò quod ipsi Clerici soleant huiusmodi negotia suo nomine perficere, non esset contra Canones, si etiam in alterius gratiam susciperentur, dummodo non quasi ex officio & communiter in praxim & usum deduceretur. Colligitur etiam ex eo quod Religiosus possit obtenta à superioribus licentia esse executor testamenti, cum cæteroquin prohibetur c. 11. de Testam. in 6. ut suo loco dictum est.

690. Quarto, non censetur idoneus esse procurator ad litem, qui Reipublicæ causâ abfuturus est, aut morbo perpetuo tenetur, ut propriis rebus præesse non possit, aut magistratum gesturus est, aut in vitus iudicium pati non potest, l. 54. ff. de procurat. [Neque femina, neque miles, neque qui Reipublicæ causâ abfuturus est, aut morbo perpetuo tenetur, aut Magistratum initurus est, aut in vitus iudicium pati non potest, idoneus defensor intelligitur.]

Quinto, prohibetur reo criminis esse defensor, priusquam crimen purget. l. 6. C. de Procurat. [Reum criminis constitutum defensionem causæ suscipere non posse, antequam purget innocentiam suam, incognitum non est.] Idem est de excommunicato. Sed de Procuratoribus ad litem, seu judicialibus erit alius locus agendi.

691. QUÆRITUR 1. De filio in patria potestate constituto, an possit dare vel accipere mandatum solvendi pro alio. R. Possit, si habeat bona, in quibus pater usum fructum non habet. De cætero cap. 5. de Procurato. in 6. de filio fam. sic habetur §. 1. & 2. [Nedium ad negotia, sed etiam ad Iudicia potest filius familias absque patris assensu fieri procurator. Licet autem quis post decimum septimum annum procurator ad negotia licitè deputetur, ad Iudicia tamen nisi major viginti quinque annorum fue-

rit, deputari nequit.] Denique l. 8. ff. de Procur. & Defens. sic habetur.

[Filius familias & ad agendum dare procuratorem potest, si quæ sit actio, quæ ipse experiri potest, non solum si Castrensium pecuniam habeat, sed & quivis famulatus puta injuriarum passus, dabit ad injuriarum actionem, si forte neque pater præsens sit, nec patris procurator velit experiri; & erit jure ab ipso filiosam. procurator datus. Ad defendendum quoque poterit filiosam. procuratorem dare.]

692. QUÆRITUR 2. An inter patrem & filium possit contrahi mandatum, v. g. si pater filio mandaverit, ut solvat Titio creditori certam pecuniam, an filius ex mandato teneatur, & possit à patre petere actione contraria, quod Titio solvit?

R. Affirmativè, si quidem solvat filius ex bonis propriis, & non ex profectitis, nam si ex his solveret, non posset à patre repetere, quia solvisset ex bonis patris.

QUÆRITUR 3. Utrum, si mulier matrimonio juncta mandet alicui, ut pro se fideiubeat, ille mandati actione teneatur, & e contra etiam mulier illi. R. Affirmativè. l. 2. C. ad S. C. Vell. ubi ratio redditur. [Nam sicut potest se ipsam alteri principaliter obligare, cum in tem suam se obstringat, sic etiam potest alteri mandatum dare, ut pro ea fideiubeat, & se ipsam obliget creditori. Lex sic habet. [Frustra Senatusconsulti exceptione, quod de intercessionibus feminarum factum est, uti tentasti, quoniam principaliter ipsa debetrix fuisti, ejus enim Senatusconsulti exceptio tunc mulieri datur, cum principaliter ipsa nihil debet, sed pro alio debitore apud creditorem ejus intercessit. Sin autem pro creditore suo alii se obligaverit, vel ab eo se vel debitorem suum delegari passa est, hujus Senatusconsulti auxilium non habet.]

693. QUÆRITUR 4. An possit mulier validè mandare alteri, ut pro alio fideiubeat. R. Negativè, vel potius cum distinctione quæ habetur in lege 32. §. 3. ff. ad S. C. Vell. [Si mulier, ne ipsa intercederet, alii mandavit, ut id faceret, an in hujus persona locus huic Senatusconsulto sit, qui rogatu mulieris id faceret: totus enim sermo Senatusconsulti ad petitionem non dandam adversus ipsam mulierem spectat. Et puto rem ita esse distinguendam, ut si quidem creditor, cui me obligari mandante muliere, hoc in fraudem Senatusconsulti egisset, ne ipsa interveniret contra senatusconsultum, daret autem alium, excludendum eum exceptione fraudis Senatusconsulto factæ. Si autem ignorasset, ego autem scivissem, tunc mandati me agentem cum muliere excludendum esse, me autem creditori teneri.]

694. QUÆRITUR 5. An is, cuius bona sunt publicata, & sicco adjudicata, pos-